

1367

0 64-27

CAROLI AVGVSTI à BERGEN
MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.

ORATIO
DE
RHINOCEROTE

QVAM

HABVIT


XVI. OCTOB. MDCCXLVI.

QVVM TERTIVM PONERET
RECTORATVM ACADEMIAE

FRANCOVRTI AD VIADRVM,
APVD. IOH. CHRISTIAN. KLEYB BIBLIOPOL.

Ed. Grieso

Illustrissime Comes,
Vir Illustris, Director & Ordinarius
Academiae Celeberrime,
Viri maxime Reverendi, Jure Consultissimi,
Experientissime, Amplissimi,
Proceres Universitatis Excellentissimi,
Hospites omnium Ordinum & Dignitatum
quotquot adestis Honoratissimi,
Tuque Generosissimorum Nobilissimo-
rumque Juvenum Corona,
Spes Patriae, Decus Academiae,
Delicium & Amor Musarum nostrarum.



Alto qui se aliquoties commisere
pelago, ac tædia infinitaque
pericula, quibus longinqua iti-
nera solent esse conjuncta, ex-
perti sunt, vix unquam novas moliantur

peregrinationes, quin toleratas olim vicissitudines ad animum sollicite revocent, anxique hæreant, & suspensi, quid iterum factu opus sit, & an tot rebus dubiis & vitæ periculis de novo quasi sese exponant? an potius negotiis suis compositis in tranquillo otii consistant portu? tandem necessitate ad iter coacti id quidem suscipiunt, sed curatius longe statum & rationes ejus subducunt: an scil. navigium, quod conscendunt, sit probum, non dehiscens, nec lacerum, nec putridum, sed firmum, optime constructum, imo ad quasvis turbulentas & horridas tempestatum injurias perferendas omnibus rite instructum, quo se tutos fore credunt ad maris æstuantis & procellosi fluctus ac fremitus? an porro constet de naucleri experientia, a quo sæpenumero tota navigantium fortuna pendet, qui quo navis artisque suæ peritior, si non semper & ubique dominus, attamen providus & fortunatus plus sapius exstat rector? an

denique anni tempestas commoda constansque fuerit, ut quoad fieri potest, tranquillum & magis pacificum experiantur pontum? an nova chlamyde? an sufficienti viatico sint instructi? reliquos haud prævisos eventus Dei providentiæ & misericordiæ committentes. Idem propemodum A. O. O. H. mihi usu venisse publice nunc confiteor, semestri ab hinc spatio ex vestro Patres Academiae Conscripti decreto tertium Academiae rectoratum adeunti. Hunc enim ceu æquor spumeum, fragilitate sulcandum, non poteram non ominari mihi eo graviorem fore, & magis laboriosum ac molestum futurum, quo magis mihi videbar gubernator *ἀπραγμάτης*, sufficienti nondum instructus experientia, & fere huic regundæ societati impar; quo certius cognoveram adesse semper plures, regimini academico licet adscriptos, qui legibus non

non obtemperando sancitis quamcumque
effrenam licentiam meditantur. Neque
enim latere me poterat, utpote rectoratu
bis jam defunctum, non semper rem mihi
futurum cum bene moratis civibus, ad pie-
tatem, studia litterarum, legum normam,
placidamque quietem recte compositis, sed
potius, quæ rectorum maxima crux est &
calamitas, cum quibusdam, licet paucis,
turbulentis & rixosis capitibus, cum gras-
fatoribus nocturnis, pulverem litterarium
nequiter cum arena gladiatoria miscenti-
bus, non considerantibus Musas ab omni
aevo feminas fictas imbecilles, plectris non
hastis, non gladiis sese delectantes, quæ
Castaliis fontibus, nullo vero sanguine tin-
guntur, nec maculantur, quibus asperio-
ribus ingeniis etiam optima præcepta, effre-
natam licentiam coercentia, eosque ad fru-
gem & probitatem revocantia sunt fastidio,
ut rectoribus, quantumvis alias de quibusvis
Musa-

Musarum filiis bene meferi studentibus, nil
inde, nisi innumera nascantur tædia. Spre-
tis vero his omnibus periculis jeci nihilomi-
nus aleam, fretus vestra P. A. C. benevola
opera, fretus bonorum quorumvis civium
diligentia & obedientia, fretus denique
cum animi tum corporis viribus semestri
hoc æstivo magistratum Academicum im-
pigre gessi, Deoque Triuni humillimas
nunc persolvo grates pro prosperrimo re-
ctoratus mihi concessi decursu. Idem Be-
nignissimum Numen almam hanc nostram
Viadrinam tam præclara docentium eru-
ditione, quam discipulorum ardore, optima-
rumque litterarum studio florentissimam,
perpetuam esse sinat ac jubeat. Non mi-
nus & Vobis P. A. C. obstrictum me de-
claro pro præstitis innumeris officiis, qui-
bus pro salute Academiæ mecum vigilare,
atque res nostras mascule tueri & conser-
vare volueritis; vestra hæc in me collata
studia

studia gratissima semper recolam mente, nihil defugiturus unquam, quo hæc vestra de me bene merita omni studio & obsequii genere demerear dignissime. Tandem ad vos Generosissimi & Nobilissimi Domini Commilitones conversus, non hæsito Vobis summas de vitæ vestræ ratione grates persolvere, quam sub meo rectoratu laudabiliter & tranquille instituistis, continuastis, Musisque, quæ nec strepitu nec armis delectantur, vere sacraftis, quamque vestro in liberales artes optimasque scientias ardori tribuo, ut proin nullus dubitem, quin laborum vestrorum fructum hinc abituri & uberrimum & exoptatissimum olim sitis percepturi.

Ne vero contra institutum majorum peccem, quo rectoratu abiturus rector de argumento quodam specioso ad Illustre Auditorium verba facere tenetur; & ego ad hoc, quicquid est officii, nullum
conve-

convenientius exstimem, quam quod insperata præbet occasio, non melius id pauculum temporis impendendum esse duxi, quam si de *Rhinocerate*, bellua rara & nobis incognita, sed præter spem ultimis nundinis hic loci primum visa, paucis perorare sustineam.

Dicturum itaque me super hoc argumento, ut benevole vos A. O. O. H. audiatis, est quod enixis precibus a Vobis peto atque contendo.

Et primum quidem fateri necesse est, nullum fere dari animal, cujus descriptio magis sit in lubrico, quamquidem hujus, de qua dicturus sum, bestia, de qua propterea pro rostris dicere nunquam in animum induxissim, nisi mirandum hoc animal aliquoties curiosis & attentis oculis lustrandi & contemplandi occasionem nactus essem.

Est itaque *Rhinoceros* animal quadrupes, peregrinum, stupendæ molis, visu
B horren-

horrendum, coloris fusci, pilis destitutum, loricatum sive magnis cutis plicis ac pedibus in comparatione corporis humilibus donatum, cornu in naso gerens paulo recurvum, acuminatum, a quo & nomen vi græci vocabuli toti belluæ impositum est.

Nominis intuitu differt a Rhinocerotem aye, quam TERZAGA in *Catalogo musæi Septaliani Rugam* vocat, volucre scilicet cornu in rostro gerente, leve admodum, concavum, coloris flavescentis, longitudinis novem pollicum, cuius iconem BESLERVS, descriptionem vero BONTIVS & WORMIVS nobis reliquere.

Sed redeo ad Rhinocerotem quadrupedem, cuius caput prælongis admodum maxillis instructum & proportionatæ cum corpore magnitudinis tantæ molis est, ut commode cum tribus capitibus bovinis comparari possit. Labiis gaudet prætutmidis, superiori grandiori, eminente in apicem

apicem exporrecto, lingua adeo brevi, quæ vix extra os exseri potest. Atque exinde quæ PAVLVS VENETVS, *de Regionibus Orientalibus*, & alii post ipsum scriptores historiæ naturalis de lingua belluæ aspera & scrupea, qua non solum ericeta percurrendo spinosos frutices degustare, sed & homines brutaque omnis generis lambendo enecare dicitur, scriptis reliquere, minus veritati consona esse videntur, nisi forsan de Rhinocerotem mare, non femella, intellectum hoc velint auctores, quod tamen, deficiente oculari inspectione, analogiæ repugnat, qua quippe dudum constat, unum idemque animal solius sexus intuitu tam insignem differentiam in lingua monstrare neutiquam. Quare meo quidem calculo, utrumque hoc, quo fungitur, officium, spinis vescendi & animalia lambendo necandi solis exsequitur labris, ad motus varios edendos à natura affabre constructis,

præfertim superiori, præminente, ad arrip-
endam rapinam de industria factò. Dentes
habet in extremitate mandibulæ quatuor
incisores, binos inferne, binos superne po-
sitos. Afferunt autem custodes animal hoc
habere etiam ad finem maxillæ plures alios
molares, in faucibus hærentes, qui quidem
propter profunditatem faucium & longi-
tudinem maxillæ in conspectum non pro-
deunt, attamen satis se produnt animalis
masticatione. Oculos belluæ natura largita
est non procul ab extremo rostro supra
modum parvos, recta spectantes, nec vage
exspatiantes, versus nares a latere directos,
ut vix recorder animantis, quod oculos adeo
à fronte remotos gerat. Unde etiam, quæ
scriptores de hominibus huic bestię obviis;
fugam oblique arripientibus, scribunt, pro-
pemodum in veritate fundata esse liquet.
In supplementum parvorum luminum præ-
longas, facile mobiles, & fere porcinas fera
gerit

gerit aures, quas ad lubitum arrigit movet-
que. Cornu in naso gerit durum, fortissi-
mum, longitudine, ut nobis omnibus nuper
visum, pedis dimidii, a basi in apicem,
frontem versus, paulo recurvum & magni-
tudinis pro sexu & ætate admodum diversæ.
Marium enim longiora esse & latiore ba-
sin habere, femellarum breviora, rectora,
confirmare haud dubito. Notavit enim Cl.
CHARDIN in *Itinere Persico*, cujus nitidissima
hujus animalis figura proxime convenit cum
illa, nuper Berolini divulgata, cornu anima-
lis ab ipso in vivario Regis Persarum visum
fuisse magnitudine panis sacharini duarum
librarum. Neque tamen diffiteor cornu hu-
jus, sicut totius belluæ, mancam adhuc nimis
esse historiam, nunc ab hoc ceu simplicis,
nunc ab illo ceu geminati facti & descripti.
Quod si vero ea quæ Cl. KOLBE in *Descript.*
Capitis bonæ spei de cornu hoc notavit cum
aliorum relationibus confero, multis de
causis.

causis persuasus assevero, aut mares geminum in eadem basi cornu, alterum majus & inferius, alterum minus & superius: femellas autem unicum, idque satis crassum & parvum habere, aut diversam dari rhinocerotum familiam, aliam bicornem, aliam unicornem. Duplex tale cornu præter KOLBIVM, OLIGER JACOBÆVS in *Museo Regio Danico* descripsit, cujus ramus alter acutior pedum duorum, obtusior alter pedis unius longitudinem habet, ex animali depromptum, quod in vivario magni Indiæ Mogolis trucidatum est. Similiter LVC. SCHROECKIVS in *Ephemeridibus Naturæ Curiosorum* meminit gemini cornu rhinocerotis Augustæ Vindellicorum visi. Denique MARTIALIS in pugna rhinocerotis cum tauro simplicis, cum urso vero geminati mentionem facit cornu, ut proin neuter à vero aberrare videatur, qui vel simplex, vel etiam geminatum animanti cornu adscribit. Quod
vero

vero alterum, idque minus cornu scriptorum quidam ponant in dorso pone nucham, æque fabulosum existimo, ac ZVCHELLI Itali cujusdam scriptoris relationem de cornu rhinocerotis mobili, ac interveniente duntaxat membrana capiti infixio, cujus ope, ubi ad pugnam sese accingit, ita rigescit, ut ferream duritiem acquirat, at laxato cingulo iterum pristinae mobilitati restituatur. Pellis nostri animantis hinc inde rugosa & loricata, coloris est e nigro cineritii, qualis elephantorum esse solet. Testibus AELIANO, BONTIO & KOLBIO tantæ firmitatis est, ut ægre jaculo penetrari queat, quam duritiem licet quadantenus deprehenderim veram, in bellua nostras visitante nundinas, nihilominus delicatum bestia sensum demirari non destiti, ex levis virgæ percussione omnino pavitantis & tremulæ. Ornata cæteroquin spectabatur pellis, si collum & caput excipias, tuberculis paulo
eminent-

eminentibus, ejusdem cum cute coloris, ornatui testudinis quoad figuram & colorem similibus, maxime circa postremas partes & femora, succulentis, licet duris, ut ex attritu animalis ad asseres caveæ, qua continebatur, illico sanguinem plorarent. Quod & an in feris bestiis tesqua sub cælo fudo & aestuante incolentibus, ac de reliquo haud ita saginatis obtineat, merito futuro perigrinantium scrutinio relinquo. Interea cutis hinc inde crassas & profundas format plicas seu rugas, quarum primaria secundum longitudinem colli pone aures utrinque decurrit, sat apprime cucullam repræsentans. Alia scapulas utrinque tegit ad ventrem usque porrecta. Tertia ventrem & dorsum involvit, iterumque alia transversim incedens femora cingit, omnes vero simul sumptæ diversos formant circulos qui multis imposuere quasi bellua scutis tecta sit. Quibus etiam cutis plicis & circulis tribua-

tribuatur necesse est, quod in hoc animali nunquam, sicut quidem in reliquis fieri observatur, articulationes & apophyses ossium sub cute emineant. Veteribus has rugas non fuisse incognitas, testem oculatum habeo STRABONEM, qui duo cingula, alterum jubam versus, alterum ad lumbum se vidisse scribit. Hunc loricatedum corporis habitum si quis cum colore obscure cineritio contulerit, non mirabitur, cur Lusitani hoc animal monachum Indorum vocaverint. Et profecto! subrisi mecum, quod antequam hoc mihi cognomentum innotuerit, ex primo animantis aspectu in cogitationem fratris Capucini incidere, cucullatum ejusmodi sacerdotem satis apprime repræsentantis: quod tamen liber ab omni offensa pace reverendi cæteroquin ordinis temporis causa dixerim. Quantus uberum, quæ una cum unguis characterem genericum Cl. LINNAEO constituant,

stituunt, hujus femellæ hic visæ sit numerus, prohdolor! tum temporis nihil minus quam de occasione cogitans rhinocerotem in cathedram producendi publicam, observare prorsus neglexi. Caudam denique mediocrem & scabram habet bestia ex decem vel pluribus quasi nodis constantem longitudine unius & quod excurrit pedis, ungulas trifidas, media parte crassiori existente, posterius cute & tuberculis tectas. Fimi egerit globulos caballinis propemodum similes. Magnitudine totius corporis teste BONTIO elephanto proxime accedit, nisi quod pedibus sit longe humilioribus, & propterea non tam conspicuum animal. Longitudine quarta circiter parte bovem excedit. Ad ruminantia autem pertinere custodes nunquam observarunt. De natura ejus hoc duntaxat constat, cum elephanto inimicitias gerere, nec sævire in hominem nisi laceffitum, quan-

quanquam Cl. CHARDIN Ispahani, Persiæ metropoli, viderit rhinocerotem cum elephantis ex uno præsepio pabulum vorantem. Voce suæ imitari scribit BONTIVS, quem grunitum in nostro animali potius mugitum dixerim, qualis est vaccæ vitulum ad se invitantis tenellum.

Atque hæcenus dicta, quantum mihi blandior, ceu vera & indubitata pronuntiabunt, qui mecum admirandam hanc bestiam contemplati sunt.

Veteribus non incognitum fuisse rhinocerotem præter ea, quæ superius retuli, tradit AELIANVS, qui Græcorum & Romanorum per multis visum, & bene notum describit, in summa nare cornu gerentem, mucronis acuti, robore nec ferro quidem concedens, pellem tantæ firmitatis, ut ægre jaculo penetrari queat, longitudine esse parem elephanto, cruribus multo brevioribus. Eiusdem auctoritatis testem

produco PLINIVM, qui refert rhinocerotem unum in naso habere cornu, eoque ad saxa limato se præparare ad pugnam cum elephanto, & in dimicatione alvum maxime petere, quam scit esse molliorem. Audiamus & hac de re MARTIALEM, cujus illa sunt de robore hujus belluæ:

*Præstitit exhibitus tota tibi Cæsar arena,
Quæ non promisit prælia Rhinoceros,
O quam terribiles exarsit pronus in iras
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat.*

Ex quo ut opinor testimonio luculenter constat hoc animal ludis publicis apud Romanos expositum fuisse, quod idem ante MARTIALEM usui venisse PLINIVS de Cneji Pompeji, DIO CASSIVS de Augusti temporibus testantur.

Devastato autem Romano imperio nulla amplius extitit opportunitas ejusmodi animantia peregrina in Europam transferendi, quo factum est, ut medii ævi scripto-

scriptores in varias, sibi contradicentes, ne dicam absurdas de rhinocerote sententias iverint. Instauratis autem sæculo decimo quarto post Christum natum peregrinationibus maritimis per Lusitanos & Hispanos, regnante Emanuele, Lusitanorum rege, anno millesimo quingentesimo decimo quinto rarum & a tempore Romanorum inauditum Ullissopolis intra muros suos vidit spectaculum, pugnantem cum elephanto rhinocerotem, utrosque ex India advectos. Cui tum temporis belluæ, quicquid novi GESNERVS, ALDROVANDVS, NIEREMBERGIVS, alique de rhinocerote scriptis consignarunt unice tribuendum habent. Anno millesimo sexcentesimo octuagesimo quarto iterum in Anglia visa est hæc bellua, tandem his nostris in diebus in Germania, ut adeo nunc tertium sit, qua belluam post tempora Romanorum vidit Europa.

An vero antiquissimis temporibus ante
conditam

conditam urbem Romam Israelitico populo innotuerit animal, & an ejus mentio fiat in sacris litteris, de eo valde dubito, hac in re subscribens doctissimo BOCHARTO, qui solide demonstravit per vocabulum hebraicum *Reem* vel *Rem*, quod interpretum nonnulli rhinoceroti, alii monoceroti tribuunt, non rhinocerotem, sed orygen, capræ sylvestris speciem; vel quoque ut mavult Celeberrimum Academiae Batavæ decus SCHVLTENSIVS potius urum intelligendum esse.

Monocerotes autem dari seu bestias unicornes unum in fronte cornu gerentes, amplius in dubium vocari nequit, ex quo nostri ævi scriptor JEREMIAS LOBO in itinere Abyssiniæ experientia edoctus testatur dari in provincia Africæ Agaorum dicta, tales unicornes famosos, equi magnitudine & figuræ, adeo feros & indomitos, qui nulla arte humana cœrceri possunt, & merito con-

condonandum esse antiquis scriptoribus, qui quicquid de unicornibus notarunt, teste LVDOLFFO. *Hist. Aethiop.* ita confuse tradiderunt, ut quædam de rhinocerote, quædam de oryge, quædam de asinis Indicis, quædam de monocerote pisce accipienda veniant.

Multo minus ii sunt audiendi, qui ex rhinocerote Behemotum Jobi faciunt, utpote quem hippopotamum vel elephantem esse facile largimur BOCHARTO & SCHVLTENSIO. Nusquam enim relatum legimus, hoc animal in Syria, Mesopotamia, Arabia vel Aegypto, regionibus Jobo sine dubio cognitis inveniri, quicquid etiam PAVLVS DIACONVS de hoc animante sub nomine bovis Aegyptii fabulatur, in quam regionem non nisi fortuito casu potuit inferri. Neque Leviathan Jobi aliquid pro rhinocerote decernit, cum laudatus modo BOCHARTVS id merito crocodilo tribuendum esse existimat. Venio

Venio nunc sensim ad eam Orationis
meæ partem, ubi cujusnam generis sit hoc
animal vobis declarandum esse duco. Ini-
tium scilicet natura rerum tot individua pro-
duxit, ut fatigarint hæcenus eruditorum
industriam in formanda apta & naturæ
convenienti dispositione. Tandem quod-
vis naturæ regnum in suas classes, ordines,
genera & species dispartiti sunt scriptores,
sub quibus amplissimus rerum naturalium
campus commode comprehendi possit.
Habet itaque & regnum animale suas clas-
ses, quarum primariam nobis sistunt qua-
drupedia. Cujus etiam cum sine dubio sit
rhinoceros, ordo & genus investigandum
erit, sub quo collocanda sit hæc bestia.
Celeberrimus itaque LINNAEVS in *systemate*
Naturæ rhinocerotem jumentorum ordini
adsociat & generis intuitu pro specie ele-
phanti habet, licet adhuc incertus sit, &
quærat, an ad elephantos relegandus sit,
nec

nec ne? Doctissimus KLEINIVS in *summa du-*
biorum ad classem quadrupedum Linnæi, rhinocero-
rotem ut irreconciliabilem elephanti ho-
stem ad porcorum familiam relegat. Et
profecto! si rostrum ejus porcino æmu-
lum, oculos non procul ab extremo rostro
parvos, porcinatorum instar formatos, au-
riculas porcinas, callos in pedibus tres
duntaxat, non quinque, ac denique vi-
vendi genus, quo teste PAVLO VENETO
more porcorum libenter in luto & im-
munditiis moratur, considero, non pos-
sum non, quin primas Kleinianæ sententiæ
deferam. At propter alias, pene multas,
in descriptione belluæ notatas rationes,
nec ordo jumentorum, (cujus esse nequit
rhinoceros ob denegatum adjumentum,
quod vera jumenta hominibus diversimo-
de inserviando præstant) nec genus ele-
phanti pro hoc animali quicquam decer-
nit, cum potius mea sententia sui sit
D generis

generis animal, cujus characterem genericum juxta ac specificum ex ignorantia tenebris erutum nondum possident eruditi.

Quod denique patriam & solum natale horum animantium spectat, hoc ipsum sitiens præbet Africa & India subsolana. Sic testibus LVDOLFI & JEREM. LOBO frequenter in Abyssinia, rarius in Aethiopia reperiuntur rhinocerotes. Asiæ vero plures longe esse regiones hanc belluam in vastissimis desertis alentes, scriptorum per plurimos inveni unanimes. WALTHERVS SCHVLZIVS Harlemensis in *Itinere Orientali* confirmat Rhinocerotes copiose in Bengalæ regni desertis, imprimis circa fluvium Pipeli & Gangeticas oras paludosas & sylvestres reperiri. Non minus maximæ Indiarum Orientalium insulæ Sumatra, Borneo, Java, horum animalium feraces sunt. Imo Chinense Imperium hanc belluam fovet, imprimis provincia ejus Suchuen dicta,

dicta, quod ipsum præter NEVHOFIVM in *Legatione Batavica* novissimus scriptor DV HALDE confirmavit.

Pro pabulo naturali belluæ non sunt plantæ molles succulentæ ac delicatæ, sed cardui ac spinosi frutices, imprimis frutex singularis junipero, quoad externam faciem affinis, qui ab incolis Capitis bonæ spei *Frutex rhinocerotis* ideo dicitur. Dolendum saltem memoratum KOLBIVM, qui hæc omnia fideliter refert, hujus plantæ in *Catalogo stirpium* circa hoc promontorium nascentium nullam prorsus mentionem fecisse.

Unica nunc superesse videtur quæstio quomodo nimirum hæc bestia omnis vinculi impatiens, semel adulta, à possessore, hanc ipsam nobis exponente, adeo facta sit mitis & mansueta? quærenti itaque hujus rei causam respondit, hoc ita factum esse, quod belluam hanc, cum adhuc pullus esset, caperit & in domo sua educaverit. Qua

ratione ferocissima animalia ex feritate ad mansuetudinem traduci posse docent olim Psilli & Marfi, hodie Indi circulatores maximos & venenatos serpentes ad arbitrium innoxie tractantes & moderantes.

Sed præter illas de rhinocerote relationes, quibus sexcentas alias si operæ pretium foret, adjicere possem historias, duo adhuc, eaque amplissima, quæ ex hoc animali capiunt mortales, breviter sunt commemoranda emolumenta, quorum alterum pharmaca, alterum vero alimenta respicit. Istarum enim regionum gentes vescuntur carne rhinocerotis, ut cibo suavissimo & ad concoquendum facili; quod & cum magno appetitu semper fecisse, laudatus de se testatur KOLBIVS. Quamquam inficias ire nolim hoc intelligendum esse de animali juniore, non annofo, cujus caro ex aliorum scriptorum testimonio tam nervosa est, ut dentes ferratos exigat.

In

In medicina pellis, cornu, & sanguis rhinocerotis tanquam probatæ virtutis alexipharmaca & antidota laudantur plurimis, ita ut medicus quidam Bataviæ degens ex pelle hujus animalis salem eduxerit in curandis per plurimos morbis præstantissimum. Idem & *Acta Hassniensia* de spiritu quodam per ignem ex cornu rhinocerotis elicitio & adversus varias ægritudines commendando, pariter laudibus extollunt, cujus rei veritas inde magis liquet, quia vinum, in quo rhinocerotina pellis per noctem macerata, adversus malignas febres optimum est remedium. De eodem cornu plures, sigillatim vero laudatus KOLBIVS propria convictus experientia refert, id scyphi in modum excavatum nullum in se posse ferre venenum, quin statim rumpatur; vinum autem quodvis infusum illico fermentare & ebullire, ramenta pariter & schidia a tornato ejusmodi

modi scypho residua sedulo conservari, ut præstantissimam medicinam contra spasmos, convulsiones, imo ipsum morbum caducum. Lusitanorum practici hodie cornu hoc in lamellas diffidunt, quas in calceis soleæ loco gestatas supramodum commendant in adfectibus podagricis & arthriticis. Denique cruor hujus belluæ in sole intra intestinum proprii animalis ficcatus, & interne exhibitus, longe potentiores in resolvendo humorum coagulo & consolidandis vulneribus internis fertur habere vires, quam hircinus sanguis, vel quivis alius, si nempe ex vino vel Coffe decocto præbeatur. Ut taceam nunc multiplicem usum œconomicum in colendis stirpibus & terris præparandis, ubi finum rhinocerotis omni alii longe præferunt olitores. Ut taceam denique insignem apud veteres Romanos usum, quibus cornu in balneis pro gutto erat, ad oleum loturis idoneum conservandum. Possem

Possem si vellem catalogum remediorum ex hoc animali depromptorum longiori enumeratione mirum in modum per texere, sed admonet me nunc diei hujus solennitas successoris in rectoratum Academiae, quem cum per procerum suffragia, ordinemque hætenus receptum constitutum habeamus virum Excellentissimum JOH. CHRISTOPHORVM PESLERVM juris utriusque Doctorem & Codicis Professore publicum Ordinarium Celeberrimum, fautorem & Collegam nostrum conjunctissimum, eundem perhumaniter rogo, velit animi sui sententiam de acceptando Rectoris munere privatim jam in Senatu Academico expositam denuo publice haud gravatim nobis aperire & declarare.

